

ris ardor, qui cotidie abundante iniquitate sinistro quodam flatu in sanctis etiam viris torpescere solet, quasi gratissimo austri flamine reaccendi in pectoribus fidelium iterum valeat. Quapropter exultemus⁸² omnes et iocundemur in domino, dum ad recolenda sanctissimi nostri patroni gloriosi scilicet confessoris Christi Mennatis sublimia merita sollemniter convenimus. Dignum etenim est et omnino certe dignissimum, ut, quoniam dei gratia concedente sacratissimum eius corpus obtinere meruimus, omni spiritualis letitię iubilo mens nostra plausibiliter hylaescat et ei potissimum, a quo omne⁸³ datum optimum et omne donum perfectum est, laudum gratiarumque rependere preçonia non desistat. Dignum et hoc nichilominus est, ut, dum eiusdem translationis sacra sollemnia annua revolutione recolimus, ipsi quoque mentes nostras a terrenis actibus et desideriis ad cęlestia ac perpetua transferamus, ut, dum glebam eius corporis tantopere apud homines in terris venerari conspiciamus, quantum glorię pondus apud angelos in cęlestibus, ubi profecto verus et incomparabilis honor est, possideat, perpendamus.

2. Sed libet iam translationis eius hystoriam secundum certissimam fidem gestorum ad fidelium populorum notitiam litteris tradere, ut nulli deinceps de tantę huius sollemnitis origine prorsus expediat dubitare, quin potius in laudem⁸⁴ et gloriam dei, qui mirificat sanctos suos, omni devotionis genere studeat tam corde quam ore prorumpere dicens „Quis⁸⁵ similis tibi in diis, domine? Quis similis tibi gloriosus

82) *Zu exultemus* – dubitare vgl. *Petrus Damiani, Sermo 2,1, hg. von Ioannes Lucchesi (CC Cont. Med. 57, 1983) S. 3: exultemus ... dum ad recolenda beati Hilarii sublimia merita solemmniter convenimus ... mens nostra spiritali laetitita affecta plausibiliter hilaescat ... dignum est, ut, dum beati viri translationem colimus, ipsi quoque mentes nostras a terrenis desideriis ad caelestia transferamus, ut, dum glebam corporis eius ... tanto praeferri apud homines honore conspiciamus, quantum gloriae pondus in coelestibus possideat, ubi verus et incomparabilis honor est, mens nostra perpendat. Sed libet iam translationis huius historiam ... transcurrere, ut nulli deinceps de praeclarae sollemnitis huius origine prorsus expediat dubitare.*

83) *Iac. 1,17: omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est. Vgl. auch Odo von Glanfeuil, Historia translationis s. Mauri praef. I c. 1, hg. von Ioannes CARNANDET, AA SS Januarii t. 2 (1865) S. 334: patrem luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum descendit, collaudamus.*

84) *Odo von Glanfeuil, Historia translationis s. Mauri (wie Anm. 83) praef. II c. 7, S. 335: ad laudem et honorem nominis domini, qui ita praesentialiter mirificat sanctos suos.*

85) *Quis – prodigia = Gregorius Magnus, In librum I Regum IV 195, hg. von Patricius VERBRAKEN (CC 144, 1963) S. 403.*